Academiae Kiliensis

Prorector et Senatus

Augustissimi Regis

Natalitia

in a. d. 29 Ianuarii 1807

solemniter celebranda

indicunt.

Praemissa pars prior Diatribae

de diasceuastis Homericis, veterumque monumentorum diasceuasi.

Scribebat

Carolus Fr. Heinrich, Eloq. et LL. Gr. P. P. O.

Kiliae,
typis Christiani Friderici Mohr.

Utinam quietis temporibus, atque aliquo, si non bono, at saltem certo statu civitatis, haec inter nos studia exercere possemus! . . . Nunc autem quid est, sine his cur vivere velimus? mihi vero cum his ipsis vix; his autem detractis ne vix quidem!

M. T. CICERO in Epist. ad Varronem.

Si verum est, (id quod, qui rem intelligant, sponte credunt, minus intelligentes credere, parum refert,) disciplinam hanc omnem, quae in cognoscenda explicandaque politiore antiquitate consumitur, atque ipsam philologicae et grammaticae artis rationem nostra aetate tum plurimis copiis locupletatam et provectam insigniter esse, tum ad rectam formulam cognitionis et doctrinae exactam magis constitutamque, ac viam denique permultis rebus, quae aut falso etiam tenebantur, melius percipiendis, aut aliis, quae penitus latebant et omnino ignorabantur, ex tenebris eruendis illustrandisque, nunc quidem magis, quam adhuc, patefactam lucere: hoc quale sit, quamque non frustra, nec caeco novitatis amore debeat iactatum censeri, clariore nullo documento cerni et iudicari potest, quam recentissimo celebratissimoque exemplo optimi studii, quo in divinis Homeri Carminibus renovato, cum veteribus illis Grammaticis Graeciae sic nuper certare eruditissima ingenia coeperunt, ut, a quibus cum beata copia literarum multiplicisque varietate apparatus, tum etiam industria, saepe impedimenta magis quam alimenta doctrinae comparante, facile vince-

rentur, rursus hos eosdem usu recti et subacti iudicii, tum veri pervestigandi solertia, denique sapientia et toto artis ambitu superarent.

Nam quum ista vetustissimi vatis poemata, in quibus iuvenile ingenium Graecorum laetissimo flore suo exuberavit, ea maxime esse conveniat, quibus, seu summam in iis vim naturae et felicitatem spectes, quaesitae perfectionis non modo vicariam, sed victricem quoque, sive exundantem fontem ingenii, quo irrigata mox diversissima artis genera et formae effloruerunt, atque mansuram eorum in omne aevum dignitatem et honorem consideres, nihil simile quidquam in simili conditione apud ceteras gentes natum videri queat: nunc demum fecit Philologia, scilicet naturae artium, quas veteres coluere, diligentior indagatrix, atque eruditam antiquitatem, non solum discendi colligendique, sed etiam cognoscendi studio et quodam genere divinandi complexa, ut iam tandem relictis castris Batteusiorum, et si qui alii fuerint honoratiores arbitri, non vana in Homero carminis epici artificia, unum actum, unum heroem, et huiusmodi alia, frigida sedulitate consectemur, sed nativam virtutem ac primaevum ingenium veteris Ἀοιδῆς, quae etiam vetustior fuit principe recentioris chori, callida Musa Calliope *), naturaeque liberalissime sibi indulgentis et fere, quod in versu poetae est, sub nutrice ludentis oblectamenta

*) Hac videlicet auspice et duce in ultima operis sui spatia ingreditur Lucretius: VI, 91.

Tu mihi, supremae praescripta ad candida calcis
Currenti, spatium praemonstra *callida Musa*
Calliope, requies hominum, divomque voluptas.

contemplemur in his Carminibus, quae non ab artifice facta, sed quodammodo nata insciente auctore, et vatis non tam studio vel cura, quam libero mentis impetu, fusa ac decantata fuere. Quum vero ex altera parte haec Carmina, tanquam perpetuum adolescentis humanioris cultus exemplum, singulari fortuna per tot seculorum casus mutationesque conservata et seris nepotibus tradita, tantam per singulas aetates habuerint admirationem, quae quidem sola plerumque instar acrioris iudicii esset, et mox adeo mentes religione quadam alligaret; qua nullum vel gravissimorum errorum esse vinculum adstrictius potest: item haec studia, multis modis amplificata ea, atque in campum liberioris cognitionis progressa, sic quidem duplex munus suum satis feliciter praestare coeperunt, ut primum indagandae Homericae poesis historiae Carminumque originis inquirendae apertos nunc puriores fontes habeamus, unde, quod verius sit inveteratis praeiudiciis ac magis historiae consentaneum, scilicet modestius haurientem non facile fugiat; deinde ut Criticam in Homero navandam atque iudicium de Homerica integritate statuendum, sine quo recta fieri emendatio nequit, porro nec obscura ratio historiae aut certe falsa vulgarium opinionum blanditia ducat, neque, ut fit, sinistra consiliorum imprudentia illudat ac destituat. Atque hoc ipsum potissimum fuit, quod diutissime in Homericis studiis aut desideratum esset aut desiderari saltem debuisset, ut certum quoddam solum ac fundamentum, in quo ipsa ars inniti posset, inveniretur, atque lex aliqua et norma suppeteret, ad quam exigi, velut ad obrussam, liceret, quidquid ex quocunque genere dubium vel ambiguum esse in antiquis hisce monumentis videretur; quae, tanquam edita e pugillaribus poetae, quum doctissimus quisque spectare ac suspicere assuevisset, non est mirandum, si diu ars abnormis ac nescia, quo esset et qua

perveniendum, varia conando et periclitando neque errantem operae metam contingeret, neque ullum omnino exitum reperiret. Qua quidem omni doctrina, partim magno iam studio elaborata, ut percipi queat, partim in viam deducta, ut amplius elaborari, novo eoque insigni argumento diluxit praecipue, nunc, quid ad literas quoque augendas et ornandas aut communis rerum domina fortuna, aut fortunae rectrix ingenii praestantia posset, nunc, quantum differret plane doctrinam inter eruditionemque veram, et doctrinae collectam subiectamque materiam. Quum enim hoc tribuendum fortunae esset, ut bona pars frugum, quas multo largiores olim fertilissima tulit Alexandrinorum messis, et incomparabile studiorum omnium, quae in Homero ponuntur, adiumentum, optatum vix illud patrum nostrorum memoria, nedum exspectatum, post diuturnam oblivionem his temporibus demum in literatorum notitiam venerit et celebritatem, protractum, idque iustissima cum laude meriti, ad communem utilitatem: mox alterum hoc, nec secundum profecto, meritum comparatum ingenio est, ut, qualis esset utilitas vel fortunae illius vel beneficii ad meliora studia instruenda, continuo patefieret. Quumque ipse etiam multae vir scientiae, Villoisonus, infinitam silvam doctrinae, quam copiosissimis scholiis pervolutatis facile collegerat is, cuius tanta in colligendo virtus erat, in Prolegomena sua, praeclarum in suo genere opus et ingens pabulum amatoribus, tanquam in horreum condidisset, unde mox alter haberet, quae depromere posset: exortus est posthac, qui opibus ante se coacervatis aequissima conditione potitus, iam nova nobis componeret Prolegomena, quae pro materia eruditionis, nunc uberrimos eruditionis fructus, pro industria, doctrinae laudem et iudicii, prudentiamque haberent. Quid igitur ille? Nempe tam parum, quid rei ibi ageretur,

cogitatione assequi poterat diligentissimus homo, ut, quod nuper relatum legimus, non victus Wolfiano acumine et pondere argumentorum, sed perterrefactus tanta audacia, quae fidem popularibus commentis et indoctis erroribus denegaret, ac deinde tristem casum Homerici ingenii ipsiusque poetae dignitatém, scelerato hoc seculo cum tot aliis rebus violatam, acerbe dolens, idem, in quo maximum certe veritatis studium agnoscere et admirari debuisset, nonnisi duro nomine flagitii criminaretur: et moliebatur ipse interdum, paratis armis experiri, an flagitium depellere posset; atqui intermittere certamen et piaculum in Homero admissum vindicandum posteris relinquere mox visum est satius *): quam intermissionem quidem, credere licet, non tam infaustam accidisse Homericae causae, quam Villoisoni ipsius, meritissimi viri, gloriae felicem. »Metiri se quemque suo modulo, ac pede, verum est.«

Sed illuc revertor. Ut ad regulam scilicet omnis in Homero crisis facienda dirigeretur, et satis firma quaedam ratio integritatis

*) Haec de Villoisono commemorata, quae nimis mira paulo prudentioribus haud videbuntur, et non obscure alicubi praedicta erant in Germania, tradita sunt nuper Parisiis in amplissimo consessu Instituti literarii nationis Franco-Gallicae, quum scriba huius Instituti, Dacierus, memoriam Villoisoni, literis morte erepti, ad socios recitaret. Quibus narratis, ne forsan parum scilicet narrasse videretur, illum tale quid de suo legimus adiecisse, quo satis ipse ostendit, semet quidem (ne dicam acerbius,) in re gravissima minime sedere iudicem posse. Ceterum nos, quantum tribui Villoisono, praestanti certe in suo genere viro ac mansuram laudem adepto, oporteat, non nescire nobis utique videmur: et assentimur plane Daciero, quum affirmaret, fuisse, dum viveret, memoria quidem, quam iudicio, valentiorem. Atque illi sit terra levis!

aestimandae constaret, ex qua vel disputandi vel refutandi idonea singulis in locis praecepta repeterentur, nunc paulo maiore cum cura expurgari via coepta est, inita, quamvis lubrica, disceptatione de eo, quod integrum apud Homerum dici haberique posset, et, si quid integrum ibi esset, uti est sane longe plurima pars Carminum, quomodo intelligi iudicarique integritatis modus deberet, ne sicut ex Varii et Tuccae emendationibus archetypum Virgilium, ita lituris et verubus Grammaticorum restitutum Homerum atque in totum sibi redditum habere se posse aliquis somniaret. Itaque iam subtilius Carminum fortuna et historia examinata, indeque artis criticae, in Homero collocandae, finibus accuratius descriptis, pro certo statutum est, omnem omnino sermonis Homerici emendationem rationemque saltem Carminum edendorum a doctrina et fide praestantissimorum, quos olim Alexandria fere habuit, Grammaticorum debere quidem esse suspensam, ita tamen, ut, quantum eorum consensum, servatae ex ingenti iactura notarum reliquiae *testantur*, is sine dubio pro auctoritate ac lege historica sequendus sit; contra ubi dissensus diversis opinionibus vel praeceptis nosmet ipsos etiam diversas in partes vocat, hanc materiam, quippe in rebus controversis, nostro ipsorum iudicio subiectam, rationisque momento, ac non arbitrio, esse ponderandam videamus. Idcirco permulta, quae proba et sincera et antiqua gravis consentientium vox arguit, (et isti loquuntur persaepe eo clarius, quo pertinacius tacent,) in ceteris rebus, quae aut habent dubitationem aut admittunt, aliqua, nec contemnenda lege analogiae minuent desiderium auctoritatis certae.

At vero tam immensa dubitationum, ab illis ipsis veteribus allatarum, seges, tot certatim propositae *ἀθετήσεις* et *ἀπορίαι*,

denique tanta in tam multis locis dubitandi vel reiiciendi licentia, quem nou moveant reputantem secum, quibus isti causis, quove habitu literaturae Homericae ad hoc totum crisis exercendae genus invitari atque adeo compelli potuerint? quem animosiorem non excitent similiter ista omnia, ut suo aequo iure suaque ratiocinandi vel divinandi peritia barbatos doctores aemuletur, et quae illi audacius plerumque, ac saepe vano abusu sagacitatis, sed permoti tamen multa librorum suorum discrepantia, molirentur, eadem aliquanto cogitatius ac modestius tentet, et coniecturae probabilitatem aut severitatem argumentationis sequatur in iis omnibus rebus, in quibus serior Carminum instauratio variaeque mutationis fortuna a pristina forma ac veterrimo habitu differre videatur?

Licet sane et licebit, quamdiu omnino aliquid licebit, experiri in hac quoque parte studiorum nostrorum coniecturalem, non aleam, sed artem ratione coniunctam, quam ne Theologi quidem, (at quanto graviores illi et sanctiores paganis Philologis!) idque in sacris literis et nullo praeeunte Aristarcho, repudiandam existimant, quin in praecipuis disciplinae suae incrementis ponunt, neque ideo temere perhorrescunt, quod multis de causis eam sine dubio impeditiorem etiam angustioremque habent, quam Philologi habemus in profanis Carminibus. Quare, si aequalis operae experimentum in vetustissimis monumentis Graecorum fiat, ac vestigia indagentur illarum rerum, in quibus propter manifestam veterum ἀνιστορησίαν non claris testimoniis, nec uno vel altero satis certo auctore statur, sed quadam cum versutia ingenii verisimilitudo est elicienda pro veritate: tanto minus hoc ad nescio quam novellae audaciae suspicionem trahi recte licet, quanto vetustior ea certe est audacia, etsi mox male obruta superstitione posteriorum

aetatum, quoque magis difficillimum id crisis genus, de quo dicimus, constat, plura habere ab historia instrumenta et subsidia relicta, quibus ut illa non exiguo damno suo carent studia in Orientis antiquitate occupata, ita persimiles hae curae profanarum literarum et adhuc praeclare adiutae illustrataeque sunt, et forsan in posterum ad maiores etiam progressus elaborabuntur. Quo de genere, ne alia commemorem, haurienda facile ex aliis fontibus, duo cum maxime loca attingam, in vetustiore historia Homericorum operum longe gravissima ac summae hodie celebritatis; quae quidem, si quando ad eundem modum, quo demonstrata adhuc summatim et primis lineis adumbrata accepimus, enodatius aptiusque ad interiorem notitiam pertractari forte explanarique poterunt, iucunda haec spes haud fuerit audacior, eventurum, ut firmiore in fundamento id genus multa nitantur atque consistere queant, quorum nunc valde molesta fluctuatio et inconstantia neque in se satis magnam pro dignitate rei habet utilitatem, et huic ipsi studio nonnihil invidiae apud eos facit, quibus ne probabilitas quidem, nisi via ac ratione quaesita, ferenda in literis vel satis digna videatur.

Nempe locorum, quae dixi, unus ad *rhapsodos* pertinet, alter ad *diasceuastas*: et utroque maxime continentur duae istae aetates, quibus in haec Carmina, antequam propius ad hodiernam formam accommodari coeperint, plane iam convenit, plurimas et gravissimas immutationes variationesque esse illatas: quarum ipsarum omnes rationes ac modos multo clarius haud dubie introspecturi essemus, magisque adeo affirmate de germana specie Homericae poesis existimaturi, si qua rhapsodicae artis qua diasceuasticae licentiae originem et progressum et historiam omnem

manifestiorem teneremus. Etenim huius quidem nisi capita saltem potiora ad liquidum perduci et explicari satis poterunt, fateor, non recte intelligo, quomodo efficiatur, ut vel uno in loco nondum gravioribus veterum obelis et quodam consensu testium confosso, morosa et iusta fortasse difficultas eorum expugnetur, quibus, nisi melius quiddam, at certe nonnulla vatis infantia vel lenis boni Homeri sopor in promtu est ad quamvis dubitationem infringendam et iuxta optimas ac pessimas crises eludendas.

Iam vero si de rhapsodis quaeritur, primis videlicet atque unicis per longam aetatem Graecae artis et nutritoribus et custodibus, his dignius veriusque, praeut vulgo solet, cognofcendis et aestimandis, ita novissima studia profuerunt maxime, ut, quem locum olim pereruditus labor Claudii Salmasii egregie ad antiquariam notitiam pertractarat, idem nunc novo cum acumine exceptus in ipsa Homerica crisi et historia adeo Graecarum artium, quod nemo tunc opinabatur, gravissimus inprimis et praecipuus exstet, ex quo, tanquam de fonte, saluberrima lux multis rebus ducenda sit, aut plane occultis adhuc aut malo iudicio impeditis. Quanquam haec etiam de rhapsodis cognita et inchoata magis quam exhausta latius patent, ac maiorem in aliis quoque disputationibus vim habent, quam tractata ea sola in Homerica causa habere posse videantur, et nonnulla ipso in historico genere sunt relicta, quibus dedita opera aliquando illustrandis non inutilem vel supervacaneum laborem iri impensum arbitramur.

Verum alia est ac diversa quaestio, neque Salmasio duce procedens, de diasceuastis: quorum quum omnis memoria prorsus exolevisset, et vix nomen quidem in literatorum commentariis

mansisset, tandem res eruta ex tenebris, quibus adhuc obsita fuit, simul atque in lucem prodiisset, non solum selectis iudicibus unice et vehementer se approbavit, sed iam adeo in communem sententiarum orbem recepta est, ut parum absit, quin Homericos diasceuastas crepent »omnes a furno redeuntes lacuque«, et quilibet bellus nugator ultro citroque importunis rumusculis vexet. Nimirum res ita se habet. Ante praeclaram operam Villoisoni, Scholia Veneta evulgantis, nonnisi uno loco in copiis adhuc paratis, cum Eustathii tum ceterorum scholiorum, supererat vocabulum *διασκευαστὴς*, positum illud, idque obiter ac nude, in Schol. brev. ad Odyss. λ, 583. *στεῦτο· — κέχρηται δὲ τῇ λέξει ὁ διασκευαστὴς παρὰ τὴν τοῦ ποιητοῦ συνήθειαν*: indeque pariter ab Eustathio pag. 1701. lin. 25. ed. Rom. *τὸ δὲ στεῦτο, ἀντὶ τοῦ ἵστατο, χρησαμένου, Φασὶ, τοῦ διασκευαστοῦ τῇ λέξει παρὰ τὴν συνήθειαν τοῦ ποιητοῦ.* Quod quum in tanta solitudine nemo fere animadvertisset, et cum Budaeo neglexissent Stephanus et Scottus, itemque in excellenti quadam ad Athenaeum observatione Isaacus Casaubonus praeteriisset: venit postremum bonus Mericus, Isaaci filius, qui quidem paternae doctrinae vel immemor vel ignarus, sed incidens in verba illa Scholiastae et Eustathii, hancce dixit sententiam in Dissertat. de Homeri Editione Hackiana p. 167. post Is. Casaub. Epistolas cur. Almelov. »Non alius hic *ὁ διασκευαστὴς*, quam poeta ipse; qui quia *σχῆμα*, quod vocant, *διασκευαστικὸν* hic adhibet, et eo valde, ut observat alibi Eustathius, delectatur, ideo hoc nomine hic insignitur.« Quae quam falsa sit coniectura, et vidit Barnesius, et ipse oppositus in scholio *διασκευαστὴς* poetae, Homero, apertissime demonstrat: ut mirandum sit, Merici hoc somnium, a Fabricio olim arreptum, in renovata eius Bibliotheca Gr. hodieque propagari sine ulla animadversione potuisse: vid. Vol. I. p. 393. Quan-

quam vix dubium est, quin simile quid, describens verba ista, in mente habuerit Eustathius, quippe qui crebro per commentarios suos id σχῆμα rhetoricum usurpat, et verbum paulo ante eadem ipsa posuerat significatione, p. 1698. l. 48. de armorum iudicio inter Aiacem et Ulyssem, καὶ δὴ Κόϊντος διασκευάζει ἐν τοῖς αὐτοῦ τὴν δικὴν ῥητορικῶς, *exornat rhetorico more.* Conf. Ernesti Lex. Technol. Graec. rhet. in voc. Διασκευή: sed negligentius tractato loco, quam in ceteris solebat vir desideratissimus. Iam tandem post editas lautiores copias veteris doctrinae res adhuc incognita compluribus vestigiis est deprehensa magis. Et primum e cod. Leidensi scholium Porphyrii editum a Valckenario est, in quo locus Iliadis σ, 356-368. notatur διεσκευασμένος esse: an forte ab ipso poeta rhetoricum in modum amplificatus? id quod ludicrum fore, sole est clarius. Quid multa? Lux allata nunc demum est Venetiis: illinc protracta locupletissima scholia memoriam pluribus locis repraesentant certae Carminum διασκευάσεως, antiquioris quidem Alexandrinis recensionibus, et διασκευαστῶν, per quos invectum aliquid et suppositum fertur, quod notatum deinde signis νοθείας reiecerint Critici. Atque indicia huius rei nunc fere ad Iliadem pertinent: ex quibus opinari licet, quam multo eiusdemmodi habituri essemus in Odyssea, haec si pari fortuna a servatis maioribus veterum notarum reliquiis uteretur. Iam sola ista satis habuit Vir clarissimus, qui totius Homericae quaestionis temporibus nostris ordiendae princeps fuit, ex quibus doceret, διασκευαστὰς non ignotos quosdam auctores criticarum recensionum habendos esse, (de quibus videlicet alia vocabula perpetuo usu recepta esse constat,) sed *exactores* seu *politores* primae operae Pisistrati, Carmina colligentis ac disponentis, qui vel una cum Pisistrato vel paulo post ad eandem operam studium ac manum

applicarint. Vide Wolfium in Prolegomenis ad Homerum p. CLI. seqq. et antea p. CXXXI. coll. locis Prolegg. p. CXXXV. Epistt. Homer. p. 23. et 39. Praefatt. prior. Editt. p. XXVIII. noviss. ed. Iliadis. Quae quidem doctrina unice confirmari visa est probato ab antiquis Grammaticis usu verbi *διασκευάζειν*, pro vulgatiore altera *ἐπιδιασκευάζειν*, in scenicorum scriptorum literis usitati de auctoribus ipsis, alteram et emendatam dramatis editionem facientibus, indeque ad eos traducti, qui limam alienis libris ex aliis generibus adhibuerint. Quodsi igitur in Homericis quoque poematis aliquando *διασκεύασις* admissa est, et *διασκευαστῶν* propriae partes fuere in iis elimandis, tametsi minime alienus ab hoc merito ipse Pisistratus fuit, eundem tamen non cogitemus tam vaga quadam appellatione productum a veteribus, imo vero alios complures ex amicis eius et certe aequales, qui velut administri regis in poliendo Homero essent, deinde etiam alios nonnullos subsequentis aetatis, qui in hoc ipso, quod illi instituerant, perficiendo, suum quisque pro parte munus praestarent. Etenim prorsus hoc convenit, *διασκευαστικὸν* munus, prout ubique in scholiis dicitur, non cadere in rhapsodos posse: quamquam, si recte accurateque capiuntur ista, *ῥάπτειν ἀοιδὰς*, *ῥαπτὰ ἔπη*, ipsumque nomen *ῥαψῳδοῦ*, denique illud, referendum certe ad insigniorem rhapsodicae artis perfectionem, *ἐξ ὑποβολῆς ῥαψῳδεῖσθαι*, plane et perspicue intelligendum est, artem plurimis modis in vera *διασκευάσει* occupatam, atque *εἱρμὸν καὶ ῥαφὴν* quasi ex professo quaerentem, viam percommodam reddere ad colligenda Carmina et literis consignanda debuisse; cuius laus operis deinde in splendidissimo nomine Pisistrati haesit: et convenit id quoque, ne ipsum primum quidem Carminum collectorem *διασκευαστὴν* dici, quod non potuisset praetermitti in tot locis scriptorum, qui Graece isthoc meritum praedi-

cant; sed significari hoc nomine aliquod genus emendatorum, quacunque ratione diversum ab istis principibus. Attamen labor eorum non solum in poliendis et exigendis, quae alii collecta iam disposuerant ante, videtur consumtus esse: sed διασκευασταὶ illi etiam ipsi fuere, qui, posteaquam Graeci Homerum suum velut factum tenebant, mox pari conatu et reliqua Homerica ἔπη et reliquias Ascraei vatis Hesiodi connexum comprehensumque iverunt. Idque omnino habito delectu, nec sine iudicio et discrimine: cuius rei argumentum non leve habent Homeridarum ἀπόθετα ἔπη apud Platonem in Phaedro p. 252. B., non sane *brevia, recisa, separata poematia* ab Iliade et Odyssea, quemadmodum Heindorfius interpretatur cum Wernsdorfio ad Himerium, non video quo iure; sed, quod Heynius praecepit ad Homerum T. VIII. p. 793., *recondita, minus nota*, (ut ap. Plutarch. Sept. Sap. Conv. c. 16. ἰατρικὴ ἀκλεὴς καὶ ἀπόθετος,) tanquam reiecta summotaque familia Homeridarum, atque alio vocabulo, ἐκκριθέντα, ab infantum, opinor, ἀποθέσει dicta ἀπόθετα; suntque, hoc ut obiter dicam, duo versus deinceps apud Platonem excerpti ex hymno in Amorem, Hesiodeo illo magis quam Homerico, cuiusque et originem et usum in Thespiensium ludis non obscure intelligas ex Pausania IX, 31, 3. Fac.

Sed difficile est omnino, quoniam rei illius nusquam ratio data opera exponitur, et pleraque assumtione magis quam claris testimoniis constant, statuere de ea aliquid certi: habemusque propter hoc ipsius Critici philosophi liberam confessionem, p. CLII. Prolegg. Quare non nimis mirandum, si quaedam hic etiam ambigue disputantur, ac διασκεύασις modo iis tribuitur, qui post inventam Carminum connexionem nihil praeter secundarium munus »perpoliendi ea et quasi ad unguem complanandi«, sibi reliquum viderent; mox

rursus ad illos refertur, qui »singulares rhapsodias connecterent, sive eas, quae ab ipsis auctoribus ad eandem formam compositae erant, uno volumine complecterentur«, atque adeo succederent in illas primarias partes. Nec vero alios διασκευαστὰς, quam qui prioris ordinis eodemque cum Pisistratidis loco essent, placuisse videmus duobus clarissimis suffragatoribus, a quibus non eblandita, ut ille ait, sed enucleata suffragia exspectari solent. Igitur Schneiderus (in Epistola praemissa Argonaut. Orphic. p. XXXIV.) hoc aperte tribuit διασκευασταῖς, quod binis in locis Odysseae commissurae male factae vestigia sibi licuerit agnoscere; Godofredus autem Hermannus, emendandi recte Hymnos Homericos rationem praecipiens in egregia Epistola ad Ilgenum, suae Hymnorum Editioni praefixa, peraeque describit diasceuastas, tanquam connectendis, quae disiuncta essent, poematis haud simplicem operam facientes: p. IX. Confer. etiam Boettigerus in *Griech. Vasengem.* I, 3. p. 209. not. Quid? quod alius quisquam, etsi strenuus sanioris historiae oppugnator et omnis sententiae de Homero literis non beato adversarius, tamen minime dubitavit, illam, ut rem certissimam, ac maxima cum fiducia narrare διασκεύασιν, ipsumque Pisistratum putare διασκευάσαντα Carmina, non intelligens, id si semel posuisset, labore quodam ingenti discussa Carmina ac turbata iterum reficienda fuisse, nescientem se sua ipsius vineta caedere plerumque. Vide Hugium in libro: *Die Erfindung der Buchstabenschrift*, etc. p. 94. Mittimus reliquos diasceuastarum fautores, vocatos vel non vocatos: quoniam ad rem nihil intersit, quid unus alterve intercinat; neque nos vidimus ex his aliquem, qui sententiam dicere cum ratione aut voluisset aut potuisset.

Iam res ita celebrata a multis, ut in dubitationem ne ab hoste quidem adduceretur, et sic duntaxat comparata, ut ad aestimandas antiquiores literas Graecorum, ipsorumque monumentorum vicissitudines pernoscendas, haud prorsus exiguum facere momentum videatur, sed illa res, opinor, non indigna fuisset, quae singularem curam disceptationemque impetrasset ab eo Viro, cuius in iisdem studiis diu multumque versati nuper demum admirabilis opera apparuit in Iliade tot novis et rarissimis doctrinae subsidiis locupletanda. Quum vero is ipse, (Heynium dico, quem semper honoris causa nomino,) primum in commentatione de antiqua Homeri lectione, inter Commentatt. Soc. Sc. Gotting. edita Vol. XIII., διασκευαστῶν obiter mentionem iniiceret, quibus nonnullae partes fuerint in mutando Homero: diverse unus, et brevissime dicta sententia, sic censuit, *interpolatores* dici illos, falsos versus ac novas lectiones intexentes iudicio pravo, idque ex ipsis scholiorum verbis intelligi, praesertim ad Odysseam, quem locum nos antea posuimus; quamobrem uti se nolle nomine, quo scilicet contemtum corruptorum genus appellaretur: vid. comm. laud. p. 176. not. *m*, et 177. Quocum multa conspirant passim per volumina Observationum ad singula fere scholiorum loca contra receptam de diasceuastis sententiam interposita, velut ad Il. ϑ, 73., quo loco inprimis aperta est professio vehementer de re dubitantis, in hisce verbis: »Non tam clarum est, uti vulgo putatur, quo sensu διασκευαστής dictus sit: h. l. videtur esse interpolator; alibi, is qui vulgarem recensionem constituit; an is qui primus Iliadem ordinaverit, eo nomine designetur, nondum vidi satis ad fidem declaratum«; etc. His adiungenda dubitatio in Observationibus postrema, si recte memini, ad Il. ω, 130. p. 619., quanquam in hac non possum perspicere, quid sibi velint verba »Iliadem compilare«. Atqui hunc

Protea nondum tenemus, moxque resurgit per occasionem Excursus, p. 811. Est sermo de iis, qui in colligendis disponendisque Carminibus studium posuerint; quo referuntur tradita de Cynaetho Chio. Iam sequuntur haec: »Iure quoque memorari videntur plures οἱ διασκευάζοντες τὰ τοῦ Ὁμήρου. Etsi hoc διασκευάζειν haud uno modo dictum reperio; est tamen hoc sensu idem quod διαθεῖναι, et διασκευαστὴς, ut διαθέτης apud Herodot. VII, 61. Onomacritus est διαθέτης τῶν χρησμῶν τοῦ Μουσαίου, h. e. qui collegit et ordinavit oracula Musaei«. At nonne id ipsum erat, quod vulgo putaretur, quodque necdum satis ad fidem declaratum esset? Unum est, quod adiiciam non frustra. Non seiungam Onomacritum ab eorum numero, qui aliquando nobilem διασκευάσιν ad illa διῃρημένα Carmina adhibuerunt: neque id est ariolari, sed secundum testem statuere; quem quum post loco protulerimus suo, fere ignotum adhuc vel nimis neglectum, de Onomacrito, Homerico διασκευαστῇ, non dubitatum iri amplius arbitror. At vero aliter dicitur Onomacritus διασκευαστὴς, aliter apud Herodotum διαθέτης χρησμῶν. Etenim is qui mox apud Xerxem κατέλεγε τῶν χρησμῶν, cum eoque versabatur χρησμῳδέων, oraculorum διαθέτης dicitur, quoniam διατιθέναι commune est verbum actionis et scenicae et rhapsodicae, ut alterum magis vulgare ὑποκρίνεσθαι, inque ipsis adeo oraculis ἐμμέτροις rhapsodica versatur recitatio et actio, ὑπόκρισις. Plato de Legg. II. p. 658. D. (quem loc. paulo ante propter aliam causam attulerat Heynius p. 798.) dicit ῥαψῳδὸν, Ἰλιάδα καὶ Ὀδυσσείαν ἤ τι τῶν Ἡσιοδείων διατιθέντα, pariterque Charmid. p. 162. D. ὀργίζεται ποιητὴς ὑποκριτῇ κακῶς διατιθέντι τὰ ἑαυτοῦ ποιήματα. Notavit haec loca, usum verbi docte enarrans, Ti. Hemsterhusius ad Lucian. Nigrin. 38. p. 81., tamen non memor Onomacriti Herodotei, qui ad hoc nos deverticulum duxit. Neque aliquem haec reputantem

existimo fore, quem a via deducat Wesselingius cum suo διαθέτῃ » oraculorum dispensatore vel interprete «, parum ii se rationis habente utroque; quanquam mirum commentum nunc Fabricius repetiit Harlesianus, Vol. I. p. 120.

Post illa hactenus allata et percensita, quum ad dubiam incertamque opinationem, ancipitemque sententiam, haec tota disputatio de diasceuastis sive Homericis sive aliorum Graeciae vetustioris operum redire fere videatur, neque satis claram et explicitam veri falsive inde cousequi liceat notionem, ex qua colligi quidquam possit certius et accuratius, quod vim ac momentum melioribus iudiciis addat: nisi forte res plane abiicienda aut saltem in medio relinquenda sit, tanquam inani lusu vocabuli exspectationem novae scientiae fallens, operae pretium sum arbitratus, quaestione hac revocanda, pauloque magis dilatanda disputatione, quippe quae separatim tractari copiosius potest, experiri, non quo opinio, in qua nihil stabile ac firmum reperitur, sed quo res ipsa ferret, diligentius ponderata argumentis suis.

Ac si primum quidem, tanquam in re adhuc ignorata et certe controversa, quaeritur, quo sensu, quave notione, secundum loquendi consuetudinem et usum διασκεύασις dici potuerit de veterum operibus, vereor, ut satis probari queat levis haec species doctae astutiae, qua unus de pluribus modis accipiendi assumtus praecipue, et reliquis etiam tacite praetermissis, statim ita ornatur, ut ratio, non nimis suspiciose legenti facile praeceps, semel obiecta animo, idque adiuta praesertim argumentandi maximo artificio, non prorsus immunem ab errore lectorem dimittat: quippe id ipsum errare est, dum legas, putare, certam rem tradi, non controversam, dum-

que ingenium admireris lucem e tenebris elicientis, ire morigerum in sententias omnes. Rem aperte dixi, qualem mihi deprehendere sum visus. Nam quum Wolfius in Prolegomenis suis, quem librum hercule tanto magis admiror, quo saepius lego, ubi primum διασκευαστὰς profert, et quidem (ne quis erret) ex eo scholio, in quo non sunt διασκευασταί, sed tantum est διεσκευασμένος τόπος, (vide p. CXXXI.) quum igitur hos ibi statim summa cum fiducia primos auctores induxisset rhapsodiarum compagis, hoc est, minime diversos a Pisistratidis: deinde eo usque progressus, ubi praedicta sententia argumentis probanda esset, hac brevissima animadversione defungitur, qua docet nimirum, vulgo ignotam vim illius vocabuli satis declarari vel ad unum Aristophanem scholiis; e quibus apparere, διασκευάζειν in re scenica esse *repetito committere fabulam, sed emendatam et secundis curis elaboratam.* Id postquam illi poetae praeivissent, mox etiam alios idem fecisse, ut Apollonium Rhodium; nec aliter Platonem. Sane quidem: nec vero alii hoc mox fecerunt, sed sponte sua et iuxta dramaticos, et, si fas est putare, ante eos. At magis illud, credo, demonstrandum erat, quod nunc dubium in tanta ista brevitate relinquitur, etiam in aliis scriptoribus, praeter scenicos, eundem apud Grammaticos loquendi usum invaluisse et reperiri alicubi, quo νέαι vel δεύτεραι ἐκδόσεις curatae post priores, προεκδόσεις, pariter appellarentur διασκευαί, ideoque non solum διεσκευασμένα δράματα, sed aeque bene similiter dicerentur epica et dialogi. Atque haud plane putida videtur esse dubitatio huiusmodi: quandoquidem causa patet, cur de dramatis verbum usurpari posset; de aliis generibus minus patet. Est enim propria vox scenae σκευὴ de omni apparatu; quumque fabulae correctae repetito docebantur, non ad verba tantum ac versus pertinuit διασκευή, sed maxime ad graviores curas

poetae, vel in partibus histrionum, vel in ipsa dramatis oeconomia, vel in choro et reliquo apparatu, plus minusve mutantis atque secundam operam argutius adhibentis. Quae omnia quam male respondeant repetitis diversorum librorum editionibus, monere nihil attinet. Quid quaeris? in tanta, tamque obvia multitudine locorum, in quibus *διασκευάζειν* cum cognatis suis de altera dramatum editione usurpatur, vix unus exstat, qui hoc dictum de aliis scriptis aperte probet, et, ubi occurrit ad alia translatum, non habet vim *correctionis*, multo minus quae ipsius auctoris esset, imo constanter fere *illicitae corruptionis* opprobrium. Denique id mirum est saltem, (nam etiam mirari aliquid licet in his literis, sed bona mente,) quod Galenus palmario loco in Hippocratem de salubri diaeta Comm. I. Opp. ed. Basil. T. V. p. 38., ubi accurate exponit hoc, quid sit de libro dictum *ἐπιδιεσκευάσθαι*, unum exemplum rei declarandae causa nullum aliud ponit, quam comoediam, hisce verbis: *παράδειγμα δ' εἰ βούλει τούτου σαφηνείας ἕνεκα, τὸν δεύτερον Αὐτόλυκον Εὐπόλιδος ἔχεις, ἐκ τοῦ προτέρου διεσκευασμένον.* Redeo illuc. Sententiam Vir acutissimus concludit deinde, affirmans, » de ipsis igitur auctoribus libri usitatum esse verbum, sive de iis, qui limam alienis libris adhiberent, non de Criticis posteriorum seculorum «. Quid vero? si medius inter utrosque tertius iacet ordo? si fuerunt etiam, qui aliquanto post illos limandi artifices, nec tamen ante Aristarchos *χθιζὰ καὶ πρώϊζα*, perfide aut saltem imperite agerent cum divino poeta, et quod praeclare antea Pisistratus cum suis instituerat, hi rursus corrumperent ac depravarent, et dum augerent poetam versibus *νόθοις καὶ διεσκευασμένοις*, (quae verba scilicet saepius sic iuncta apud Galenum exstant,) eundem emendarent, perinde ut boni inter Graecos proavi vel Senecae illius vel Aurispae, vel Aristobuli

etiam Ebraei? si omnino aequa loquendi lege dicti διασκευασταὶ puri puti interpolatores ac falsarii essent? Cuiusmodi fabros tulit sane quam Graecia, eorumque haud est obscurae infamiae διασκευή. Restat res admodum levis, neque tamen hic prorsus omittenda, de qua admonebo. Vim primo loco commemoratam illius vocabuli, quae scilicet Pisistrato aequales istos falsarios facit, vulgo esse ignotam aiebat Vir auctoritate, quam apud omnes habet, longe dignissimus. Non dicam, iam ante Stephanum, quid significaretur hoc verbo, diligenter Budaeum explicuisse, etiamque attigisse hunc usum, quo esset pro latinis *digerere, disponere*; etsi tum non in mentem ipsi venit elegantis negotii, quo libri quoque et carmina disponerentur. Sed nonne immortalis harum literarum vindex, Isaacus Casaubonus, fuit dignus satis, cuius insigne meritum confiteretur is, quo nemo rectius id perspicit? Nam ex quo ille in Animadverss. ad Athenaeum III. c. 26. (apud Schweigh. Animadvv. T. II. p. 261-265.) varios usus huius vocabuli cum ipsis scenicarum fabularum διασκευαῖς copiosissime eruditissimeque evolverat: vix aliquis tam rudis fuit exquisitioris doctrinae, quin Casaubonum audiisset docta cum ubertate persequentem, quod Criticus Homericus deinde, breviter quidem, sed exposuit tamen. At Casaubono, inquies, nondum rivi Veneti patuerunt, quos exhauriret. Neque vero, quam vulgo ignotam rem dicit eruditissimus Wolfius, ad eam vel minimum ne ipse quidem indidem e rivis illis potuit proficere. Adeo satis intelligebat, rem ignotam ex notis fontibus prius docendam esse, quam e scholiis nuper repertis aliquid pro certo poneretur, quod ipsum scilicet versaretur ibi in controversia. Quid ergo? non solum gemina ac simillima huic est praeceptio divi Casauboni, imo etiam ad universam vocabuli vim explicandam paulo magis accommodata, utpote quae illud a

Wolfio sive forte sive consilio omissum simul apertissime declarat, vim propriam huis verbi sine dubio permultis locis in eo esse positam, ut plane dicatur pro *librum corrumpere.* Ita est sane. Ego vero, nunc quo me vertam, subdubito. Etenim Wolfius haud nominavit Casaubonum ea in re, in qua nominari maxime oportebat. Si eum ignorarit, (id quod vix credibile est,) quomodo qua mihi qua aliis persuadebo, tali a viro ignorari aliquid potuisse, quod ad causam ac veritatem non leve vel spernendum esset: sin sibi bene cognitum omiserit sciens, quo id pacto excusem et piis Manibus Casauboni, et illius generis arbitris, qui merito dubitationes amant, per quas, quod verum sit in rebus, tanto accuratius discant, quod secus, tanto certius se expediant inde?

Attamen esto: mihi vero, qui videar quibusdam sic disserendo et simulate ratiunculas colligendo manu improba Penelopes telam resolvisse, hoc, quidquid sit, quaestionis repetendum de integro est, μή μοι μεταμώλια νήματ' ὄληται. Quam quidem quaestionem tribus locis deinde absolvere conabor: primo, quo dictionis, in qua causae vertitur iudicatio, varia in antiquis literis vis atque significatio paulo etiam post Casaubonum plenius diligentiusque aperiatur et illustretur: altero, quo mentiones διασκευάσεως, quotquot reperiri possunt in Venetis thesauris, comprehensae omnes suo quaeque in loco accurate ponderentur, atque e sensu proprio suo spectentur et examinentur: postremo, quo, praemunitis illis, totius quaestionis summa et consequentia, veraque notio diasceuasis, in veterrimisque Graeciae, Homericis maxime et Hesiodeis, monumentis ratio atque effectus ad aliquam in hoc genere utilitatem, si quidem fieri possit, exponantur ac demonstrentur.

Sed hac in via, quam ingressae estis, mox alio tempore pergetis, Pierides! Nunc enim diversa res agitur. Prope adest dies inprimis almus ac feriatus, et natalis quidem vestrum in his terris clementissimi Conservatoris et Nutritoris, REGIS AUGUSTISSIMI SERENISSIMIQUE DUCIS,

CHRISTIANI VII.

Huc vortite ora, Deae, atque parumper luctum deponite, quem, grassante per orbem saevitia immanis belli, tot sacra vestra turbata ac polluta eheu! iustissimum cum maxime excitant! Huc, huc accedite ad aras intactas, nullodum sanguine contaminatas, vel crematas incendio! Indicite Solemne natalitium cum festa panegyri Votorumque publica nuncupatione agendum, die ipso natali, hora XII. *Porro Quirites!* Adeste frequentes, faventes, denique, quod iustum sanctumque est, Pietatem colite!

P. P. Kiliae, in Academia Regia, a. d. 25. Ianuarii 1807.

END OF TITLE